

SCRIPTA

Numéro Scripta : 7297

Autre(s) référence(s) : Round 1078

Auteur(s) : Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

Bénéficiaire(s) : Fontevraud-l'Abbaye, Notre-Dame de Fontevraud (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1182, 23 septembre

Lieu d'émission : Chinon

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Confirmation d'un accord conclu entre l'abbaye de Fontevrauld et Guillaume de Montsoreau.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° DCXVIII, t. 2, p. 227-229.

Indications

Round John-Horace, *Calendar of Documents Preserved in France, Illustrative of the History of Great Britain and Ireland*, 918-1206, Londres, Her Majesty's Stationary Office, 1899, n° 1078.

Dissertation critique

Sur la datation de cet acte, voir DELISLE/BERGER, *Recueil des actes de Henri II*, t. 2, p. 227. Une charte de Raoul, évêque d'Angers, du même contenu et souscrite par les mêmes témoins, a été rédigée à la date du 23 septembre 1182.

Texte établi d'après a

Henricus, Dei gratia rex Anglorum, et dux Normannorum et Aquitanorum, et comes Andegavorum, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, archidiaconis, decanis, comitibus, baronibus, justitiis, vicecomitibus, seneschallis, prepositis, et omnibus baillivis et fidelibus suis totius terre sue, salutem.

Sciatis me concessisse et presenti carta mea confirmasse subscriptam conventionem et concordiam coram me consilio et assensu meo in curia mea factam inter abbatissam et sanctimoniales Fontis Ebraudi et Guillelmum de Monte Sorelli, concessionem et assensu heredum ipsius Guillelmi, super querelis que inter eos vertebantur de consuetudinibus et rectitudinibus et possessionibus unde contentio erat inter eos, videlicet quod vigeria super qua contendebant remanet ecclesie Fontis Ebraudi, hoc retento quod, si contentio fuerit inter homines abbacie unde duellum surgat, iudicabitur apud Fontem Ebraudi, et per manum abbatisse mittetur in curiam domini de Monte Sorelli ; si fuerit duellum inter homines abbacie super catallis et possessionibus et quibuscumque rebus,

totum rectum et tota emendatio quantum ad censum erit abbatisse ; si vero fuerit inter homines abbatisse et homines extraneos, rectum et emendatio hominis abbatisse erit abbatisse, hominis autem extranei totum rectum et emendatio erit domini Montis Sorelli ; si fuerit duellum tale unde contingat hominem destrui, vel quocumque modo detruncari, inter quoscunque fuerit, rectum et emendatio hominis abbatisse quantum ad censum erit sanctimonialium et abbatisse, iusticia destructionis corporis et membrorum, cujuscumque, domini Montis Sorelli erit, et census hominis extranei, si contigerit hominem extraneum redargui et convinci super latrocinio, et census et corpus integre erit domini Montis Sorelli ; si simile contigerit hominibus abbatisse, census erit sanctimonialium et abbatisse, iusticia destructionis corporis et membrorum erit Domini Montis Sorelli, sicut supradictum est, erit (sic) de omni forisfacto unde contigerit hominem mori vel truncari. Omnes alie contentiones, precipue de mensura vini et bladi et secretarie sanctimonialium et dominicorum hominum abbatisse integre remanent ipsi abbatisse, ita quod singulis annis, in sollempnitate Assumptionis beate Marie, reddet abbatia L. solidos domino Montis Sorelli vel ejus precepto apud Montem Sorelli, hoc etiam adjecto quod abbatia non recipiet aliquem de hominibus domini Montis Sorelli ad aliquam mansionem, nisi religionis habitum in abbatia susceperit, et tunc recipietur tantum cum mobili suo. Et si forte aliquis ex hominibus domini Montis Sorelli dederit ipsi abbatisse domum vel aliquam possessionem immobilem, ipsa eam tenebit per annum et diem, et tunc vel infra annum et diem oportebit de necessitate ut vendat eam, nisi per gratiam et concessionem domini Montis Sorelli eam retinuerit. Iterum nullus hominum abbatisse capiet terram hominum domini Montis Sorelli ad colendum sine licentia domini Montis Sorelli. Mensura vini et bladi Montis Sorelli curret per totam terram abbatisse que est de castellaria Montis Sorelli, sine aliqua custuma quam ob hoc exigere possit dominus Montis Sorelli. Preterea nullus hominum abbatisse dabit paagium vel passagium in tota terra domini Montis Sorelli ; et si contingat aliquem hominem abbatisse esse mercatorem, custumas suas ut alii mercatores domino Montis Sorelli persolvat. Donationes etiam militum suorum factas abbatisse et faciendas concedit dominus Montis Sorelli, salvo servitio suo. Quare volo et firmiter precipio quod hec conventio et concordia inter eos facta rata sit et stabilis et firmiter et inconcusse inter eos teneatur.

Testibus : Radulfo Andegavensi episcopo, Ricardo comite Pictavensi et Gaufrido comite Britannie et Gaufrido cancellario, filiis meis, magistro Gualtero de Constanciis archidiacono Ox[eneforde], Godefrido de Luci archidiacono de Derbi, Ricardo vicecomite de Sancta Susanna, Johanne comite Vindocinensi, Stephano de Turonis seneschallo Andegavie, Guillelmo Filio Radulfi seneschallo Normannie, Reginaldo de Curtenai, Gaufrido Huberti preposito Lauduni, Aimerico de Bernezaio, Hugone Galler., Joisberto de Prescin[iaco], Petro Filio Guidonis, Guillelmo de Ostilleio, Guillelmo Rolland, Bartholomeo Rolland fratre suo preposito Andegavensi, Nicolao de Sancto Paer.

Apud Chinonum.